



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

X. Vtrum repugnet status naturæ puræ, quoad concupiscentiam non
subiectam rationi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

idemque peccatum transmittatur ad posteros, adiuncta priuatione aliquorum bonorum absolute possibilium intra limites naturæ tam in via, quam in termino; tamen in pura natura, nulla eiusmodi transmissio futura fuisset. Quia videlicet dependenter ab innocentia conseruatione habituri similiter eramus virum, bonorumque naturalium feliciorum utrobique statum.

Ad 6. Iam dictum est aliqua esse bona naturaliter possibilia, quibus priuari quisque possit absque miraculo: quare punitio peccati per priuationem aliquorum bonorum connaturalium, non est ex suo conceptu miraculosa, sed talis, ut citra omne miraculum possit induci per peccatum.

Ad 7. Iam constitit, non eadem prorsus ratione deberi naturæ humanæ omnia, & singula bona sibi conferibilia naturaliter, sed aliqua esse, quibus citra miraculum destitui non potest; alia quibus potest citra miraculum priuari. Atque hæc posteriora posse negari ratione peccati non solum personalis, sed etiam originalis.

Ad 8. Dicitur similiter. Quæ sunt extra hominem, siue fauentia ipsi, siue nocentia, eodem modo necessarii fluere semper, quoad aliquos effectus; non verò quoad omnes; & induta varietate quoad istos ratione peccati, posse inde subsequi intra ipsum hominem, variationem debilioris dispositionis ad bonum. Deinde intra ipsum hominem est tantus, & tam assiduus fluxus, & refluxus humorum, & spirituum vitalium gerentium in se phantasmata commotiuæ appetitus sensitiui, & inde rationis, ut facile, & frequenter eueniant indeterminaciones illæ superius descriptæ motionum localium versus hanc, vel illam partem: ex determinatione quarum facta à Dæmone, per potestatem, quam habet ad tentandum ratione peccati, potest multipliciter induci debilitas non parua in voluntate respectu boni honesti.



QVÆSTIO X.

Vtrum repugnet Status Naturæ puræ, quoad concupiscentiam non subiectam Rationi?



IDEATUR repugnare. 1. Quia laudabile est repugnare concupiscentiæ. Non est autem laudabile, resistere bono, & motionibus à Deo datis. Ergo concupiscentia, & eius motus non sunt à Deo; sed proueniunt ex peccato. Ergo renugnat, ut insint naturæ puræ, & nondum maculatæ peccato.

2. Pudicitia est bona, eademque est contraria concupiscentiæ, & data homini, ut pugnet cum illa. Bonum autem non est contrarium bono, nec Deus dat aliqua sua dona, ut pugnemus cum aliis suis donis; sed ex solo peccato esse potest pugna aduersus dona Dei. Ergo repugnat, ut concupiscentia insint ante peccatum.

3. Concupiscentia est materia pudoris, & erubescentiæ, ut patet ex subuentione foliorum à primis hominibus quæsitæ. Quæ autem bona sunt, & existunt auctore Deo, non possunt esse materia erubescentiæ, sed solum peccatum; & quæ à peccato procedunt, talis materia esse possunt.

4. Motus concupiscentiæ sunt desideria peccatorum. Desideria autem peccatorum, & id vnde ipsa necessariò proueniunt, sunt mala, nec habent auctorem Deum, tamen illis resistatur; Ergo solum ab homine peccante prouenire possunt.

5. Contra naturalem, & iustum rerum ordinem est, ut pars inferior non subsit superiori, hoc est, concupiscentia rationi rectæ, idque ad nutum, quod solum præstare potest donum integritatis, auferens essentia liter puritatem naturæ, quoad concupiscentiam non subiectam rationi. Malum autem est, quod est contra rectum ordinem rerum, nec potest Auctorem habere Deum, qui non nisi ordinatissimè facere quidquam potest.

Adde omnia quæ in istis quinque Argumentis assumuntur, frequenter, & expresse doceri ab Augustino, & luculenter comprobari l. 4. 5. & 6. contra Iulianum l. 1. & 2. Operis imperfecti. Libris duob. de peccato originali, & totidem aliis de Nuptiis, & Concup. & alibi, ut necesse minimè sit loca singula notare. Ex quibus locis arguitur præterea.

6. Quia Augustinus probat in illis existentiam peccati originalis ex propagatione concupiscentiæ ab Adamo in omnes eius Posteros. Quare admissa possibilitate concupiscentiæ, & motuum eius in homine innocenti, euanesceat præcipua, & ferè vnica peccati originalis probatio apud Augustinum, qui scilicet semper opponit aduersus Pelagianos negantes peccatum originale tot, & tam magna mala, quæ modò recensita sunt concupiscentiæ connexa, non nisi à peccatrice voluntate induci potuisse.

7. Repugnat hominem condi absque subiectione rationis ad Deum, siquidem repugnat eundem condi absque dilectione Dei, veritatis, & iustitiæ, ut liquet ex testimoniis adductis quæst. 8. in ratione dubitandi. Quæ dilectio continet in se subiectionem rationis ad Deum; Subiectio autem rationis ad Deum est causa subiectionis concupiscentiæ ad rationem, ut docet ex eod. Augustino D. Th. 1. p. q. 95. a. 1. Ergo repugnat hominem condi absque subiectione appetitus ad rationem.

Art. 1. Resp. Status puræ naturæ in conceptu suo adequato includit duo. Primum, defectum ordinationis ad vltimum finem supernaturalem constitutum in visione Dei immediata; & consequenter defectum donorum omnium supernaturalium, quibus homo perducit in eum finem. Deinde includit defectum subordinationis perfectæ in appetitu inferiori, seu concupiscentia respectu rationis. Examen possibilitatis condendi hominem absque ordinatione ad visionem Dei immediatam, iam iterum reiectum est ad quæstiones de Deo, ut ad proprium locum, & Argumenta aduersus eam possibilitatem sunt faciliora soluta, quam quæ proposita sunt aduersus possibilitatem condendi hominem absque subiectione concupiscentiæ ad rationem. Hæc enim argumenta sunt apparentiæ maioris; sed soliditatem nihilominus nec ipsam vllam habent. Manifestum namque est, ut dicit D. Th. loco nuper citato, quod subiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad Rationem, non erat naturalis. Alioquin post peccatum mansisset: cum etiam in Demonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit 4. c. de diu. nom. Nempe si necesse fuisset hominem condi cum subiectione appetitus, & concupiscentiæ ad Rationem, necesse utique id fuisset necessitate fundata in nativâ conditione, & existentia intrinsecè determinata Rationis superioris, & concupiscentiæ, & appetitus inferioris. Dictum verò est, quæst. præced. quæ tali necessitate conseruata sunt vniuersi cuiusque naturæ, non amitti per peccatum. Cum igitur experientia constet, & ex multis locis scripturæ, eiusmodi subiectionem amissam esse per peccatum, clarè concluditur, talem subiectionem non esse homini debitam ex natura rei, sed gratuitam, & supernaturalem. Atque adeo creati illum, atque conseruari potuisse absque eo dono subiectionis concupiscentiæ.

Art. 2.

Art. 2. Confirmatur, quia homo suæ naturæ relictus bona aeterna impellentia ad operationes honestas cognoscit valde imperfectè, tanquam absentia, & per species alienas representata; Bona verò delectabilia, & temporalia stimulantia concupiscentiam, cognoscit immediatè, & perfectè per species proprias tanquam præsentia, & præsentia protinus viui accommodata. Quare ratio superior nisi adiuuatur à Deo per supernaturale aliquod Adiutorium, non potest sibi perfectè subicere concupiscentiam, nec facere, vt non præueniatur per eius motus, & assultus ante deliberationem, atque consultationem circa eligenda; Neque per tales motus pertinaciter vexetur inuita; in quo consistit concupiscentiam esse solutam, nec obedientem rationi, sicut obediens, & subiecta fuit de facto ante peccatum ratione doni supernaturalis gratiosè superadditi, quod communiter dicitur donum integritatis. Et ob eius collationem dicitur Ecclesiastici 7. Deus, fecisse hominem rectum. Vt interpretatur D. Thomas cum Augustino, & aliis Sanctis Patribus communiter. Pertinet nimirum ad rectitudinem hominis, vt ratio superior perfectè dominetur potentiis omnibus inferioribus; sicut pertinet ad oppositam declinaturam, quod appetitus inferior possit impetu suo præoccupare Rationem, eamque pertrahere, ac diuertere ad considerationem bonorum temporalium, atque ad eadem inclinare appetitione sensuali.

Art. 3. Nec tamen, propter vim eiusmodi concessam concupiscentiæ aduersus Rationem ante peccatum, dici posset Deus iniuste agere. Quia vt dicit Augustinus. c. 11. de dono perseu. *Quamuis ignorantia, & difficultas* (loquitur de difficultate orta ex concupiscentia) *etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset. Quod ipsum docet l. 3. de Lib. Arb. c. 20. & lib. 7. retract. c. 9. & alibi non semel.* Interpretatio porro, quam tam claro testimonio adhibere nonnulli tentant, euanesceat ex dicendis ad quintum. Interim considerandum est, sicut Deus fecit pleraque res corporeas, corruptioni subiectas, ita etiam substantias rationales fecisse peccandi periculo expositas, & corruptibiles moraliter, neutris inuidens bonum oppositum; sed in vtriusque permittens eas imperfectiones, quæ necessariò insunt limitatæ ipsarum bonitati, ac perfectioni quam vel sic, melius fuit illis communicare, quam nihil illis donare. Quia capaces non erant, vt plenitudinem totius bonitatis ipsis refunderet: Non enim propterea pars bonitatis neganda fuit, quia tota, & pura bonitas tribui non poterat. Igitur laudandus esset Deus, vt dicit Augustinus, tamen si hominem creasset absque perfecta concupiscentiæ subiectione, respectu rationis superioris. Quia quod hæc posset illi nihilominus resistere, quoad actus efficaces, ac deliberatos, hoc esset ei à Deo; quod verò vexaretur motibus concupiscentiæ, & inde versaretur in magno peccandi periculo, hoc ei inesset ex se, & non formaliter quatenus esset ex Deo auctore suo; sed quatenus esset ex nihilo sui, vt frequens docet Augustinus in libris omnibus contra Manichæos. Quare imperfectio propria concupiscentiæ solutæ non esset donum Dei, sed defectus vltioris bonitatis, necessariò consequens ad bonitatem donorum Dei essentialiter limitatam, & impeditiuam vltioris progressus suæ entitatis in bonitate, & perfectione entitativa, ac secundum identificata.

Art. 4. Quæ ratio manifestat, perperam quæri Auctorem defectuum, & imperfectionum, quæ necessariò insunt rebus creatis. Nullum siquidem Auctorem, nullamque causam habent propriè talem, sicut nullum habent esse propriè tale, quod est terminus formalis adæquatus Auctoris, & causæ propriè talis. Sicut enim in re, quæ imperfecta est, imperfectio

non est continuatiua eius actualitatis, & esse, quod illi conuenit: sed potius est impeditiua, seu ipsa impeditio formalis, quominus eadem actualitas, & esse, vltius progrediatur, & in maiorem asurgat communem actualitatis, & bonitatis, ita Auctor, & causa rei limitatæ, non dat limitationem ipsam, & imperfectiorem cauendo vltra pluralitatem, quam exerceat circa actualitatem, & bonitatem eius, sed potius nihil vltius cauendo. Igitur imperfectio concupiscentiæ solutæ, seu non perfectè subiectæ rationi, tamen homini ab initio suæ creationis ante peccatum agnata fuisset, non fuisset adscribenda Deo, tanquam Auctori, & causæ, sed limitationi humanæ naturæ, & participio nihilitatis, sibi relictis, nec per donum supernaturale, ac prorsus indebitum in meliorem conditionem promotis: Eodem prorsus modo, quo Angelorum, aliarumque quarumlibet substantiarum creaturarum peccabilitas inest ex se, Deo tantum negante donum supernaturale, ac prorsus indebitum, quo eas reddat impeccabiles.

Art. 5. Habuisset nihilominus concupiscentia soluta ante peccatum associata naturæ humanæ, vnde differret à dissolutione concupiscentiæ, quæ inest de facto naturæ lapsæ in peccatum. Differret namque primò per extrinsecam denominationem pœnæ, & rebellionis. Cum enim de facto collata à Deo fuerit subiectio concupiscentiæ, eaque proinde præextiterit subiecta ante peccatum, habet rationem pœnæ eius dissolutio, quatenus donum supernaturale, quo continebatur, in pœnam peccati sublatum est, & dicitur meritò rebellio, vis resistendi, & aggrediendi contraria priori subiectioni. Differret rursum intrinsecè, quatenus concupiscentia post peccatum, ita est soluta, vt regnet in carne peccati, hoc est, obtineat prædominium aduersus rationem, præponderante eius inclinatione in malum, atque in perniciem, & damnationem hominis, inclinationi rationis superioris in bonum honestum, atque in salutem, & vltimam felicitatem eiusdem hominis. Quod tantum, & tam grande malum occupationis Regni per partem inferiorem aduersus partem superiorem, nequaquam adfuisse in statu puræ naturæ.

Art. 6. Cuius discriminis ratio à posteriori est, quia post peccatum vsque adeò opprimitur ratio à concupiscentia, vt reddatur moraliter impossibilis obseruantia totius legis naturalis, vitatio omnium peccatorum lethaliū, & victoria grauissimarum tentationum, absque supernaturali Gratia Dei, vt infra dicitur: Cum tamen natura pura vires habitura foret, non solum physice, sed etiam moraliter ad ea omnia præstanda; Quia per se, & independentè à peccato debetur naturæ cuius rationali potestas, non solum physica, sed etiam moralis ad obtinendum vltimum suum finem sibi connaturalem, vt liquet ex dictis quæst. 3.

Art. 7. Ratio verò à priori deducitur ex dictis quæst. præced. Quia nimirum natura humana ratione peccati destituitur fauorabili determinatione causarum secundarum ex se indifferentium ad euentus magis, aut minus fauentes, aut nocentes bonæ inclinationi, bonisque cogitationibus generabilibus dependenter ab illis, & subditur potestati Dæmonis ad tentandum per inflexionem, ac determinationem aduersam earundem causarum, necnon humorum, & spirituum vitalium, atque imaginum phantasæ, quorum neutrum futurum fuisset in statu puræ naturæ. Concluditur ergo non repugnare statum naturæ puræ quoad concupiscentiam non subiectam rationi, eo modo quo subiecta de facto fuit ante peccatum per donum integritatis. Esto tantam vim habitura non foret, aduersus rationem, quantam habet post peccatum originale.

Ad 1. Laudabile est resistere concupiscentiæ, quoad eos motus, & inclinationes, quibus ea discordat à motione, & inclinatione boni honesti, & rectæ rationis, quod perinde est atque resistere malitiæ, & imperfectioni concupiscentiæ. Hinc autem nullatenus sequitur, laudabile esse resistere donis Dei, quatenus Dei dona sunt; sed quoad aliquam imperfectionem, quæ ipsis inest ex sua natura, & quatenus ex nihilo sunt. Quod Genus resistentiæ respectu aliquarum imperfectionum, quæ insunt donis Dei, per alia dona Dei, usque adeo non est absurdum, ut à nemine, absque maximo absurdo, negari possit, quamlibet substantiam peccabilem habere aliquam inclinationem innatam dono Dei ante peccatum, cuius inclinationis imperfectioni laudabiliter resistat, & non nisi cum vituperio conformari, ac cedere possit. Tam enim repugnat esse peccabilem, cui nulla inest inclinatio præiua ad peccandum, seu ad faciendum id quod sine peccato fieri non potest, quam repugnat esse eligibile, quod nulla vi mouet, atque inclinatur ad sui electionem. Laudabile verò est resistere inclinationi, ac motioni ad peccandum.

Ad 2. Dicitur similiter tam pudicitiam, quam cæteras omnes virtutes, esse dona Dei data homini, ut pugnet non quidem cum aliis donis Dei; bene tamen cum imperfectionibus aliorum Dei donorum, atque naturam peccabilem talem esse, ut dum peccabilis proximè est, tametsi innocens sit, sine pugna operari non possit. Nullum autem est absurdum aliqua Dei dona, quæ limitata sunt, habere in se imperfectiones, quibus nobiliora alia Dei dona resistent: sicut non est absurdum, ut qualitates physicæ datæ à Deo elementis, & mixtis invicem pugnent, & valentiora minus valentibus prævaleant. Hoc scilicet commune est omnibus creaturis tam rationalibus, quam irrationalibus, ut habeant aliquas imperfectiones, quibus resistere possint alia nobiliora dona Dei: Quin tamen vlla Dei dona, quatenus eius dona sunt, eumque habent Auctorem suum, vlla possint inter se contrarietate pugnare. Quod etiam concupiscentiæ suo modo convenit, uti mox clariùs explicabitur.

Ad 3. Quælibet imperfectio est materia aliqualis erubescentiæ latè sumpta, idest confusionis, aut humiliationis, eique subsunt omnes operationes, & motus corporales non subiacentes libero, ac despótico voluntatis imperio, & eo magis, quod minus ei subiacent. Quia earum imperfectio deprimit immediatè apicem humanæ dignitatis; & quia istiusmodi servitus vexat animam ad tempus, infra decorum sibi postea connaturale, per totam æternitatem in statu separationis. Præter hoc autem, quod est commune aliis imperfectionibus, id habet speciale concupiscentiæ, ut sit materia erubescentiæ propriè dictæ, quatenus inducit periculum peccandi. *Erubescencia enim, ut definit D. Thom. 1. 2. q. 41. art. 4. est timor ledendi opinionem ex turpitudine in actu committendo; sicut verecundia in commissio.* Verum ex hoc capite non magis negari potest possibilitas concupiscentiæ solutæ ante omne peccatum, quam possibilitas proximæ peccabilitatis, utcumque constituta. Quia quælibet proxima peccabilitas fundat eiusmodi timorem, ac proinde erubescenciam, quam tamen non fundant vlla Dei dona; ac proinde neque concupiscentiæ, ratione bonitatis, & entitatis suæ positivæ, seu quatenus sunt dona Dei; sed ratione imperfectionis, vel connaturalis sibi, vel essentialis. Et quia talis imperfectio præminet in concupiscentia, atque illi potissimum significandæ deseruit ista vox ex communi usu, præterea concupiscentia concipitur, ut præcipua erubescendi materia, & quasi cum solum affectum terminare potens. Denique ea solutio concupiscentiæ, ultra

erubescenciam communem statui puræ naturæ, aliisque imperfectionibus, ex confessione omnium communibus homini nondum beato, pro quovis alio statu, uti iam innottit clare; fundat præterea de facto maiorem erubescenciam simul cum verecundia, quatenus provenit ex peccato à primis hominibus commisso, cuiusque turpitudini attestatur, & inducit in maius periculum vltimis peccandi, quorum alterum illi nequaquam contineret in statu puræ naturæ: Alterum verò contineret minus, ut dictum est.

Ad 4. Desiderium, ut plurimum, usurpatur pro actu deliberato, & efficaci de bono futuro, atque hoc pacto, motus concupiscentiæ prævenientes rationem dici non possunt desideria peccandi. Quia sunt indeliberati, & inefficaces. Caterum desiderio latè sumpto, pro simplici complacentia terminata ad bonum absens, à nemine negari potest substantiæ innocenti quidem; sed potenti proximè peccare, ac amittere innocentiam, inesse ante peccatum desideria peccatorum. Quia ante electionem efficacem obiecti turpis, necessariò antecedit simplex complacentia, uti, & cognitio aliqua inclinans ad illud. Verum inclinatio ista defectuosa, seu vocetur desiderium, non provenit ex Deo, nec ex defectu iustitiæ in Deo, quæ defectuosa est, sed ex nihilo, & ex perfectione creaturæ essentialiter limitata, permittente id Deo, seu non impediante. Quia melius est homini, & Angelo existere cum eo defectu, quam simpliciter non existere: Nequit ergo ex eo capite repugnare homini innocentia concupiscentiæ non subiecta rationi.

Art. 1. Ad 5. Non est contra rectum rerum ordinem, ut inferiora non subsint superioribus, quoad omnes omnino motus, & actiones. Nam neque in statu naturæ integræ, subsistent libero voluntatis, & rationis imperio, gravitatio corporis, transpiratio, respiratio, & similes actiones. Solum ergo est contra rectum ordinem, ut inferiora, non subsint superioribus, sicut Manichæi contendebant, quoad actiones impeditivas vltimi finis, aliarumque actionum, quæ sunt necessariae ad consequendum vltimum finem. Motus autem concupiscentiæ subsistent imperio rationis, & voluntatis in statu puræ naturæ quoad eiusmodi actiones. Quia posset illis resistere voluntas, & non erumpere in electiones deliberatas, ad quas iidem inclinarent contra dictamen rectæ rationis. Obsequi verò iisdem solum quoad honestam generis humani propagationem, cuius, à non honesta, discretio non cadit in appetitum inferiorem, ideoque ipsi dari non potuit vis inclinandi pro circumstantiis honestæ executionis, quin vexaret eadem inclinatione, in contrariis etiam circumstantiis; ac proinde quin indirectè impelleret ad peccandum.

Art. 2. Ex his responsionibus patet quo sensu accipienda sint documenta Augustini, quæ indicantur in patrocinium obiectionum. Augustinus enim loquitur circa concupiscentiam, prout de facto est pœna peccati, & prout regnat in carne peccati, cum præponderantia aduersus vim, & inclinationem rationis superioris, prout expositum est supra. Quare nihil inde conuincitur aduersus concupiscentiam, qualis futura fuisset in statu naturæ puræ.

Art. 3. Iam ad 6. Quoad probationem peccati originalis ex propagatione concupiscentiæ ab Adamo in omnes eius posteros, duo sunt obseruanda. Alterum est, Augustinum semper supponere, tanquam fundamentum, ac basim eius probationis, testimonium illud Eccles. 7. *Solummodo hoc inveni, quod fecerit hominem rectum.* Quod admittebant quidem Pelagiani, sed interpretabantur sinistrè contra mentem Patrum, & totius Ecclesiæ, intelligentium nomine rectitudinis, exclusionem eius declinatis in malum, quam inducit concupiscentia, ut nunc est soluta. Quo

suppos

supposito, prout supponit ubique Augustinus, vel citato expresse, vel sub verbis æquivalentibus sub-intellecto illo, aut simili alio testimonio, quod facit quique deprehendit ex lectione Augustini iisdem in locis, qui citari, & ponderari solent aduersus sententiam, quam defendimus, euidentissimum euadit argumentum inferens peccatum originale ex concupiscentia, ut nunc est, quatenus dona Dei sunt sine penitentia, nec ea semel data subtrahit nisi in penam peccatorum.

Art. 2. Hanc esse mentem, & illationem Augustini constat inter alia clarè ex cap. illo 9. l. 1. retract. Cum enim illam hypotheticam propositionem pronuntiasset, *Quamuis ignorantia, & difficultas, etiam si essent...* Immediatè subiicit: *Qua disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris Instrumenti*: Quali diceret; Idèd contra illos peccatum originale conuinci non potest, & necesse est concedere per modum hypothesis, ignorantiam, & difficultatem, hoc est, concupiscentiam, fuisse de facto hominis primordia naturalia. Contra Pelagianos autem, hoc defendendum est (subdit ibidem) quod utraque Scriptura commendat, atque adèd dari peccatum originale, eiusdemque penam esse de facto ignorantiam, & difficultatem, quæ sine iniustitia, & vituperio Dei potuerunt absolutè esse primordia hominis naturalia. Fundantur enim in aliqua bonitate, ratione cuius possunt esse proprietates homini connaturales, & continent formaliter aliquam imperfectionem, ratione cuius possint esse pena peccati respectu hominis antecederet eleuati ultra dignitatem suæ naturæ.

Art. 3. Secundo loco obseruandum maximè est, Augustinum non concludere peccatum originale ex concupiscentia utrumque non subiecta rationi; sed ex concupiscentia, qualis de facto existit regnans in carne peccati, & habens vim Legislatiuam, qua inducit aliam Legem in membris hominis: qualem concupiscentiam non futuram esse in statu puræ naturæ, tametsi subiecta rationi omninò non foret, sicut de facto fuit ante peccatum, ostensum iam est superiori nostro discursu in resolutione quæstionis.

Ad 7. Iam fusè expositum fuit, quæst. præced. Dilectionem Dei, seu potius sufficientiam ad Deum diligendum, de qua loquitur Augustinus, dum dicit eam esse innegabilem naturæ innocenti, non esse supernaturalem, & vndeque perfectam, quæ sola continet in se perfectam subiectionem rationis ad Deum; sed naturalem, & imperfectam. Quare nihil concludi potest ex illis locis pro re præsentis in fauorem obicientis. Ista distinctio naturalium, & supernaturalium operationum illustrabitur adhuc ulterius quæstione seq.



QVÆSTIO XI.

Vtrum in statu naturæ lapsæ possint elici aliqui actus morales boni, absque auxilio Gratia per Christum?



Id est Vtrum non posse. 1. Quia Liberum arbitrium est indifferens ad plures operationes, & ad plures causarum exteriorum occurfus, ex quibus diuersæ cogitationes suboriri possunt, aliæ efficaces, aliæ inefficaces. Nequit autem istam suam indifferentiam per seipsum de-

terminare, nec eligere, ac sibi promittere occursum causarum, à quibus proueniunt cogitationes congruæ, potius quàm incongruæ; cum neque præsciunt sit homo euentum sub vnaquaque futurorum, atque vt esset præsciunt, non posset electione sua prouenire causas ipsius electionis. Ergo ad Gratiam Dei spectat solam, vt vnicuique prouideat eas potissimum causas, ex quibus tandem proueniat operatio bona; & cohibeat causas, ex quibus proueniret omisso, vel operatio mala contraria, ac prouideat nunquam quisquam potest vllum actum honestum elicere, absque interuentu gratiæ prouidentia Dei. Huc respexit Aug. quæst. 2. ad Simpl. dum dicit. *Quid animo complectitur aliquid, quod eum non delectet? An quis habet potestatem vt vel occurrat id, quod eum delectare possit; vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbatur Gratia Dei, non nutu nostro, & industria, nec operum meritis comparatur.* Et rursus: *Voluntas nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque immuet animum, moveri nullo modo potest, hoc autem, vt occurrat, non est in hominis potestate.* Quo eodem argumento vtuntur eandem in rem Anselm. de Concord. Grat. & lib. arbit. Et D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 2. & q. 24. de Verit. a. 14. Patet autem hoc argumentum eodem modo, & æquali vi, complecti omne genus operum bonorum, siue naturalia, siue supernaturalia finis; siue parua, siue magna. Nullum igitur prorsus opus bonum fieri potest absque Gratia Dei per Christum; eaque Gratia, quam Augustinus contra Pelagium defendit. Nempe agens contra ipsum hoc argumentum utitur, tum loc. cit. tum alibi sæpe.

2. Ex eo quod petimus à Deo, vt conuertat nos ad se; vt det nobis Fidem, perseverantiam, & similia; concludit Augustinus, & quidem frequentissimè, ac confidentissimè aduersus Pelagium, ad Gratiam Dei id pertinere, nec sine Gratia Dei haberi posse. Quia vt dicit Epist. 90. *Ipsa oratio clarissima est Gratiaustificatio.* Patet autem cogitationem congruam etiam naturalem, ad quodlibet opus bonum, etiam morale, etiam facillimum, esse idoneam materiam orationis. Quandoquidem est conferibilis, & negabilis à Deo, cui & quando vult, vt liquet ex dictis quæst. 2.

3. Ad veram Dei Gratiam spectat, quodlibet bonum nostrum, de quo iam habito speciales ipsi gratias agere tenemur, distinctas à gratiarum actione debita ob beneficium Creationis. Quod itidem principium est frequentissimum Augustino aduersus Pelagium, vt cap. 19. de Prædest. Sanct. & Epist. 107. longè ante medium. Manifestum autem est, teneri vnumquemque bene operantem ad specialem eiusmodi Gratiarum actionem, pro suo bono opere, & congruitate cogitationis ad illud. Ergo quodlibet bonum opus, cuiuscumque conditionis sit, spectat ad veram Dei Gratiam, nec haberi potest sine vera Gratia Dei.

4. Nihil notius est apud Augustinum, vt liquet præsertim ex lib. de dono perseverant. quàm perseverantiam finalem in accepta iustitia esse donum Gratia Dei, & nemini contingere posse absque speciali, & verissima Gratia per Christum, quod est etiam ex fide, vt dicitur in loco. Posset autem contingere sine vera Gratia per Christum, si posset absque eadem fieri aliquod bonum opus morale. Quia per quodvis bonum opus morale, potest in aliqua circumstantia vitari peccatum, quod si committeretur, tolleret perseverantiam finalem in Gratia. Contingere enim potest hominem mori non occurrente occasione in illa vltima periodo, nisi operis morales facillimi, & vnici, quo directè, vel indirectè impediatur peccatum. Ergo nullum bonum opus morale, etiam facillimum, fieri potest sine vera Gratia per Christum.

5. Esto